

finitima loca & Praesidia, ex beneplacito tamen & Dispositione huius nostri Aulico Bellici Consilij translocari possint. Copeinzenze vero Fortalitium, siquidem hoc ipsum in aliquo adhuc defensionis statu reperiretur, & velut in medulio Sclauonici illius Territorij situatum pro quodam receptaculo vel Patriae istius Assylo deservire possit, etiamnum quopiam milite, pro praelibati Nostri Aulico Bellici Consilij arbitrio, praesidiandum, sub Gubernio tamen, commenda atque Jurisdictione Bani, Vice Bani totiusque illius Regni, sub Suprema autem huius saepe memorati Consilij Nostri Aulae Bellici Directione & dependentia omnino conseruetur.

Tertio, quandoquidem praementionata illa finitima & Confiniaria loca saeparari nequeant a Territoriali Jurisdictione, ea ipsa confiniaria loca in futurum Banalia, pariter cum omni per Regnum et Banum inibi collocata atque stipendiata, seu ex Generalatu Varasdinensi, secundum consilij Nostri Aulae Bellici Dispositionem pro exigentia rerum forsitan adhuc extrahenda ampliore militia, nec non residuis districtuum eorundem inhabitatoribus & Incolis, ipsoque Territorio, signanter & cunctis in saepéfato Varasdinensi quondam Generalatu adiacentibus locis, modalitate praemissa Regni & Banali Jurisdictioni ac Gubernio constanter incorporentur. Consequenter & haec & reliqua, Collapim inter Vnam & Sauum fluuios situata Confinaria aequae ac caetera singula & uniuersa loca et Districtus, in toties memorato prius Generalatu Varasdinensi residua, ex iisdem causis et principijs Banatui Regni Banalique Dispositioni subsint et subiaceant, taliterque subiecta & subordinata per idem Croatiae & Sclauoniae Regnum ac Banum successiuus in perpetuum temporibus constanter & immutabiliter regantur et gubernentur, Sicque a primo ad ultimum omnia & singula Varasdinensis Generalatus loca & Praesidia (excepta Copeiniza, quae, ut praemissum est, pro Assylo et receptaculo cum aliquo, iuxta saepéfati Consilij Nostri Aulae Bellici Dispositionem, milite inpraesidianda veniet) sublata, cassata, reformataque in perpetuum haberi & esse volumus; Kostanica vero, Novi, caeteraque, per Banalem militiam praesidiata, aliaque praeterea, quae fors pro militari necessitate errigenda deinceps et praesidianda Consilium hocce nostrum Aulae Bellicum iudicabit, loca singula et uniuersa, una cum Banali confiniaria, hactenus isthuc applicata, et ex Generalatu Varasdinensi fors desumenda, vel undecunque aduentitia et ibidem applicanda militia, Bani, Vice Bani, iisdemque subalternorum Commendae, et Regni Gubernio Jurisdictionique subsint et subiaceant; Atque ita idem Banus, Vice Banus, & Regnum cum praementionata sibi subordinata et, tam nouiter quam hactenus subiecta militia, residuisque tam pristinis, quam Regno et Banatui neo incorporatis ac Postliminio restitutis districtibus uniuersis, quoad militaria sub dependentia huiusce Nostri Aulae Bellici Consilij benignas Nostras resolutiones & Ordines obsequenter accipiant et exequantur.

In concursum porro eorum, quae ad Confiniariorum locorum & Praesidorum instaurationem conseruationemque, uti et Banalium Officialium, specialiter autem Vice Bani (ne particularis cuiusquam status aut personae obligationi obnoxius esse necessitetur, uerum pro decore officij ac dignitatis congrue subsistere possit) intertentionem atque accomodationem, aliasque publicas necessitates requiri dignoscuntur: Contributionale quantum, quod iustum et tollerabile viribusque ac facultatibus vestris par atque proportionatum per Aulico Bellicum Consilium Nostrum, cum Bani & Regni interuentu, determinari constituique volumus, eo praecipue applicandum et per Fidelitates vestras, velut in vestrumet ipsorum securitatem, et seruitij Nostri promotionem, quotannis subministrandum decreuimus.

Quae omnia ad perpetuam Jurium vestrorum, Regnique & Banalis Jurisdictionis Indemnitate ac securitatem perpetuo valitura, maturo deliberatoque Consilio ex plenitudine Caesareo Regiae potestatis Nostrae vobis fidelibus antelatorum Regnorum nostrorum Croatiae, Dalmatiae & Sclauoniae Statibus et Ordinibus sicut impertienda clementer esse censuimus, ita in Fidelitatum vestrarum erga nos et Augustissimam Domum Nostram Auita fide, constanti deuotione, et indefesso promouendi seruitij Nostri zelo firmam ulterius spem habentes, vobis Gratia Nostra Caesarea et Regia benigne propensi manemus. Dabuntur in Ciuitate Nostra Viennensi die Decima Mensis Julij, Anno Millesimo Septingentesimo Tertio. Regnorum Nostrorum, Romani quadragesimo quinto, Hungarici quadragesimo Nono, Bohemici vero quadragesimo Septimo.

Leopoldus, m. p.

Eugenius a Sabaudia, m. p.

(L. S.)

Ad Mandatum Sacrae Caesareae Maiestatis proprium:

Ioannes a Tiell, m. p.

A tergo:

Reuerendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, nec non Egregijs et Nobilibus N. N. Uniuersis Statibus et Ordinibus Dalmatiae, Croatiae et Sclauoniae Regnorum Nostrorum fidelibus dilectis.

Originale in Archivio Regni Croatiae. In hocce Archivio asservatur quoque authenticum hujus Resolutionis transsumptum, a Francisco Rege A. 1807 factum.